Nobilissimo, praestantissimo, doctissimoque viro
D. Constantino Hugenio Eq. Dno Zulechemi,
Caspar. Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Quaeris, clarissime Hugeni, quid rerum agam. quaerit idem et Horatio Satyra nona notus quidam nomine, arreptaque manu vatis rogat: Quid agis dulcissime rerum. Quamobrem liceat mihi idem tibi respondere, quod amico suo tunc respondit Flaccus:

Suaviter, ut nunc est, inquam, et cupio omnia, quae vis.

Ago, mi Hugeni, θρεπτικόν τι, ago αἰσθητικόν τι, ago, νοητικόν τι. ut credas eundem esse operationum & actionum mearum ordinem, qui fuit olim generationis. Aristoteles in libris de Generat. Animalium, ait, hominem primò vivere vitam plantae, inde animalis, inde hominis. Ego ne à principiis meis discedam, eodem ordine operor, quo mea me carnea formavit mater in alvo. θρεπτικὰς illas, aut, si mavis, φυσικὰς actiones valde probo, ut sine quibus nec sentire liceat, nec ratiocinari. Ideò amo dilucidis intervallis caput et stomachum supponere spumanti paterae, et cum Wickefortio meo et Nostardio circa quartam pomeridianam, detracta helvei epidermide, devorare membra crudi animalis, ἄνευ ἐλέους. His officiis curo, quà fas est, follem meum, (ita Anaxarchus philosophus vocabat corpusculum suum) ne malè sit animae meae, quae quandiu istic spirat, sollicitè sibi metuit ὑπὲρ τοῦ ζῆν. Hinc ad sensuum motusque actiones expeditior sum. Video iam et avidissimis oculis lego, in Marone invectivas Didonis in Aeneam, in Ovidio orationes adversarias Aiacis & Ulyssis, in Horatio artem poëticam, in Catullo Epithalamium Pelei et Thetidis, in Claudiano initium poëmatis in Ruffinum, in J. Secundo Basia, in C. Hugenio porticum umbrosam Hagensium, eximia et summa omnia.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 74
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/992

Illud audio, Ratisbonam accessisse Cæsari, famem exercitus
Suecorum, Saxonem Praga retrogredi, improvisum
aspris veluti qui sentibus anguem, Pressit. Hostem
Traiecto ad Mosam minari, sed arctiorem obsidionem differre
in pluvios menses, et dum exercitum suum iunxerit Infans
Cardinalis: nos spem in Gallo et copijs Hassicis ponere:
domum Austriacam de vindicanda sua incolumitate iam
seriò cogitare. Illud olfeci et olfacio indies, peius olere
his mensibus aquas Amstelodamensium, quàm Neomagensium;
melius verò hic olere aromatum officinas, quam equorum
istic stabula, aut forum piscarium. Non ita pridem ad
convivium vocatus gustavi pastum ficis iecur anseris
albi, Et leporis avulsos lumbos, tum pectore adusto
Horat. Serm. lib. 2. Sat. 8. Vidimus alaudas poni & cum clune palumbos. Mox
cum apponeretur Plutonis ista ambrosia, quam Caviaram
vocant, necnon [illegible]olorum vis, muria fætentium,
tetigi singula, ut cum Venusino loquar, dente superbo,
similis fastidienti. Quotidie affectibus indulgeo, ~~aut~~
præter coelestia, amo tria in terris, patriam, uxorem cum
appendicibus et consectarijs octo, et amicos non ita multos.
odi duo potissimum, paupertatem & Hispanum. Lætor, quoties
literas tuas maximi in me affectus indices, contemplor: indignor,
quoties male curat Burgersius noster, quæ ipsi mandavisti.
Elogium istud Jonstonj, quod mihi mitti voluisti, nondum
vidi. Et ne me putes ζωόφυτον esse aut glebæ
affixum, ambulo indies graviter, ne diutius sedendo et
longiore quiete putrescam. Adsum, dormio in utramque
aurem, securius multò, quam Barbanzonius et
dux Arschotanus. Ubi verò Hominis partibus
defungi libet, et ea agere, quæ mentis propria sunt,
sane hoc feriarum tempore non vacat philosophari,
aut in cathedra disquirere:

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 74
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/992

2

Quæ mare compescant causæ, quid temperet annum,
Stellæ sponte sua iussæne vagentur & errent,
Empedocles, an Stertinij deliret acumen.

Verum solutus istis curis studijsq. gravioribus, tria iam ago. garrio in officinis et urbanus sum: equito cum Satrapa Muydensi et magnificus sum; Regum filijs epithalamia scribo, & versificator sum. Cetera, ingenium tuum omnis disciplinæ scientiæq. capacissimum, rerum et linguarũ cognitionem variam, industriamq. indefessam colo & veneror. Non puto labi diem, quo non tui memoria subeat, et humanitatis profusæ, quam erga me usq. declaras. Huius ne te pæniteat, hoc agam, ut porrò tibi probem obsequium meum & spiritum parvæ tenuem Camenæ. Scis, opinor, quid iam rerum agam, secundum omnes et singulas animæ δυνάμεις. At te velim duo agere. primum amare me. deinde acriter obiurgare segnem istum Burchium, qui nisi propediem illud Elogium Jonstonj miserit, crudeli in ipsum epigrammate sæviam. Vale, vir maxime. & amicis quibus voles exemplaria hæc impartire. E museo, Amstelod. XXV Augusti CIↃIↃCXXXIV.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 74
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/992

Aen mijn heere
mijn heere Constantinus
Huygens Ridder, heere
van Zuylichem, als Secretaris
van sijn Exc^ie Ho^tie

te

Nimmegen

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 74
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/992